

batiam Ferrariensem in Dicecesi Senonensi contulit, eisque addidit cellam Sancti *Jodoci*, & *Cormaricensem*. At enim *Hugo*, & *Alcuinus* non ex cupiditate, aut ambitione tot fruebantur Beneficiis, sed eo tantum fine, ut prodesse Ecclesie Gallicanæ, cujus plures Episcopatus, & Abbatias *Carolus Martellus*, ut jam insinuavimus, laicis nobilibus tradiderat, qui milites ad Bellum contra Saracenos difficillimum suppeditabant. *Hugo* siquidem plures Episcopatus, & Abbatias retinens, eas in pristinam libertatem vindicabat, & strenue impediabat, ne venirent in Laicorum potestatem, omnesque, quibus poteratur, reditus in bonum Ecclesie convertebat, ut testatur *Chronicon Fontanellense* cap. 8. Eodem zelo animatus *Alcuinus*, proventibus, quos ex Beneficiorum pluralitate percipiebat, non ad fastum, luxumve abutebatur, sed illos ad restaurandam collapsam in Abbatibus disciplinam, & ad bonorum temporarium statum redintegrandum, pie consumebat: *Fugiebat*, inquit vitæ *Alcuini* Scriptor ei coævus, *modis omnibus otiositatem. Nam aut legebat, aut scribebat, aut discipulos erudiebat, aut orationi vacabat & Psalmorum decantationi, inevitabilibus tantummodo corporis indulgens necessitatibus.* Uni Ecclesie bono *Alcuinus* sese totum devoverat, cujus studio Scholam Turonicam moderando, Clericos ad hoc pietatis, & Doctrinæ Ecclesiasticæ Seminarium confluentes instituebat, & sacras prophanasque litteras edocebat.

D. Fuitne status Monasticus sæculis septimo, & octavo propagatus, & exacte in Monasteriis observata vitæ Regularis Disciplina?

M. Doctissimus *Mabillonius* in Præfatione ad sæculum II. Benedictinum, quod est Ecclesie septimum, ait *S. Amandum* non solum Monasteria Virorum in Belgio, sed etiam Cœnobium Puellarum, *Nivellense, Melbodiense, Castrilocense, Marcianense*, & alia nonnulla fundasse, duplicemque in unoquoque Parthenone conventum fuisse, Monachorum scilicet ac Monacharum, quæ ab illis de more regebantur. At progressu temporis factum est, ut in Cœnobio illa Belgica successerint Monachabus Collegia Canonicarum, & Monachis primitus Monachabus, ita postmodum Canonici Canonicabus Sacramenta administrarent. Extant etiamnum in Belgio Cœnobio illa Canonicarum, quæ tamen ad nuptias, si voluerint, transire possunt, teste *Miræo* in Notis ad cap. 13. Cod. Donat. ubi hæc habet: *Canonicarum nobili genere progenitarum, quæ ad nuptias transire possunt, Collegia in Hannonia sunt duo, Montense (seu Castrilocense) & Melbodiense: totidemque in Comitatu Namurcensi, Andennense, & Monasteriense: & unum in Brabantia, Nivellense, omniumque apud Belgas, ut opinor, antiquissimum.* De istis Canonicibus adhuc in Belgio existentibus leges *Mabillonius* parag. 3. Præfationis ad secundum sæculum Benedictinum, ubi de illis late differit.

Multa a Monachis Benedictinis in Germania octavo sæculo extracta sunt Cœnobio, tam Virorum, quam Virginum, quæ erant Seminaria, & Scholæ, in quibus pueri ad pietatem, & studia

tum sacrarum, tum prophanarum litterarum instituebantur. In his Germaniæ Cœnobiis, ut ostendit sæpe citatus *Mabillonius* in Præfatione primæ partis sæculi III. Benedictini, quod est Ecclesie octavum, non magis abundavit bonorum copia, quam Sanctitas Religionis. At postquam ex copia, otiove lascivierunt animi, cœpitque Religio magnifice magis coli, quam pie, tum demum, inquit clarissimus ille Auctor, sæcularium cupiditas involavit in Bona Monasteriorum, quæ prius tota in cultum verba numinis, violari dicebant nefas.

In Gallia sæculo octavo miserabilis fuit omnium Monasteriorum status, valdeque labefacta Regularis disciplina. *Carolus* quippe *Martellus* Major domus regis variis Bellorum tumultibus impeditus, & exhaustus, Abbatias, ut jam observavimus, Laicis hominibus concessit, earum prædia in beneficium attribuit, eoque tandem processit mali labes, ut Abbatias, seu Virorum Monasteria, fœminis in beneficium traderentur. Hinc fugati tum vi, tum inopia Monachi, Cœnobio in solitudinem redacta, prædia in præcarium laicis promiscue donata, & ultima pene clades Monasticæ Disciplinæ illata, sicut accurate describit *Chronographus Fontanellensis*. Huic tam grandi malo jam altas radices agenti, remedium adhibere conati sunt optimi Principes *Carolomannus, Pipinus, Carolus, & Ludovicus Augusti*, itidemque *Carolus Calvus*; eisque collaboraverunt Episcopi Gallicani, quorum hac fuit sententia, deformatum Ordinem Monasticum ad pristinum splendorem restitui haud posse, nisi per Abbates Regulares: quod tamen executioni mandatum non est usque ad finem decimi sæculi, quo *Hugo Capetus*, qui tertiæ stirpis Regiæ nunc in Gallis feliciter regnantis caput est, hoc malum omnino sustulit, & integram Ecclesiam, & Monasterii eligendorum Præfectorem, seu Episcoporum, & Abbatum Regularium libertatem restituit. Floruerunt tamen in Gallis septimo Ecclesie sæculo Sanctissimi Abbates, quorum Vitas describit *Mabillonius* sæculo II. Benedictino, multique Monachi octavo sæculo ad Episcopatus, & ad gravissima gerenda negotia fuerunt assumpti, quorum Acta sæculo III. Benedictino exhibet idem *Mabillonius*. Regula *S. Benedicti* in Gallia, Germania, & Anglia primas tenebat octavo sæculo, eamque omnia pene Monasteria susceperunt. Quo factum est, ut paulatim omnes in Occidente Monachi haberentur alumni Beati *Benedicti*, ejusque Regulam fuerint amplexi. Antea siquidem multi erant Monachi, qui a primigenia origine Sectatores, successoresque erant eorum, qui instituti fuerant a *Martino, Casario, Cassiano, & Columbano*, sed hi omnes octavo Ecclesie sæculo, relicta hisce Regulis, quas prius indiscriminatim profitebantur, ad unam *S. Benedicti* Regulam, quæ, præ cæteris, ut ait *Sanctus Gregorius Magnus*, est *discretionis præcipua*, sese totos contulerunt. Episcopis subditi erant tam Monachi, quam sanctimonialia. Concessa tamen fuere octavo sæculo Privilegia nonnullis Monasteriis, quibus vel omnino,

vel ex parte, ab Episcoporum jurisdictione solverentur. Inter quæ duo insignia habentur privilegia, unum videlicet *Fuldensi Monasterio* a *Zacharia Summo Pontifice* concessum, rogante *Sancto Bonifacio Moguntino Archiepiscopo*, qui illud fundaverat; alterum *Fulrado San-Dionysiano Abbati* indultum a *Stephano Tertio* pro omnibus Monasteriis ab ipso in Gallis fundatis, aut deinceps ab eo, vel ejus successoribus fundandis, & construendis. Pecuniam exigere pro ingressu in Monasterium districte prohibitum erat, & *Simoniacæ* species merito cenfebatur. Monachorum, & Sanctimonialium in quovis Monasterio determinatus erat numerus, juxta facultates Monasterii. Ignobilibus æque ac nobilibus puellis patebat aditus ad Monasteria, postquam earum vocatio fuisset probata, sed ante vigesimum quintum ætatis annum Sanctimonialia non consecrabantur: ita sancitum est in Capitulari *Aquisgranensi* cap. XLVII. his verbis: *Virgines non velentur ante xxv. annos.* Idem statutum est in Concilio *Francfordiensi* Canone XLVI. Qui ad Episcopatum ex Monachorum ordine assumbantur, vitæ regularis propositum servare tenebantur, ut videre est in Actis *Sanctorum*, qui octavo Ecclesie sæculo e Monasteriis ad Episcopatum proveci sunt, quæ Acta exhibentur a doctissimo *Mabillonio* sæculo III. Benedictino. Fœminis ad Ecclesias Monachorum aditus non patebat, quæ licet disciplina amplius non vigeat, optandum tamen esset, ut saltem fœminis in Chorum, in Sanctuarium, & Sacrarium in Monasteriis ingressus esset omnino prohibitus, quod tamen (proh dolor!) non ubique observatur. *Mabillonius* in Præfatione primæ partis sæculi III. Benedictini, quod est Ecclesie octavum, refert rem certe singularem, videlicet tantum fuisse Monachis id temporis solitudinis amorem, ut miracula, si quando per sanctos domesticos in Ecclesiis suis patrarentur, aut occultare, aut cohibere pro virili studerent, ne confluentium hominum turbas paterentur, eorumque frequentia regularis disciplina remitteretur. Sic *Sanctus Hidulphus* ex Episcopo *Trevirensi* *Mediæ* *Monasterii* primus Abbas præcepit *Sancto Spinulo*, etsi mortuo, ut a patrandis miraculis cessaret, quamvis inde temporalia etiam commoda in Monasterium redundarent. Sed, quod mirum est, præcepto *Abbatis* obedivit *Sanctus Spinulus*, teste *Ricberio* *Senonensi Chronographo*, cessaruntque miracula, & affluentia populorum repressa, *Abbas & fratres sine tumultu molestia Deo deinde servierunt.* O! utinam omnes, qui regularem disciplinam profiterentur, hunc solitudinis amorem, vitæ Asceticæ tam necessarium, necnon sæculi contemptum cordibus penitus infixum haberent, sæpiusque meditarent id quod *Carolus Magnus* in Capitulari *Aquisgranensi* cap. LXXIII. & in Capitulis, quæ *Monachos* proprie spectant, passim inculcat, videlicet, ut *Monachi monachice, & regulariter vivant, omnimodis secundum votum suum, secundum quod scriptum est: Vota vestra reddite Domino Deo vestro.* Et iterum: *melius est non vivere, quam vivere, & non redere.*

D. Suppetitne tibi aliquid aliud dicendum circa Disciplinam, quæ sæculis septimo, & octavo fuit observata erga Episcopos, aliosque Ecclesie Ministros?

M. Episcopi, alique Ministri sacri ob lapsum carnalem perpetua depositione septimo Ecclesie sæculo puniebantur. Id *Sancto Amando Trajectensi Episcopo* districte observandum præcipit *Martinus Papa* in Epistola ad ipsum directa his verbis: *Qui semel post suam ordinationem in lapsu ceciderit, deinceps jam depositus erit, nullumque gradum Sacerdotis poterit adipisci, sed sufficet ei lamentationibus, fletibusque assiduis, quo usque advixerit, in eadem sententia perdurare, ut commissum delictum valeat extinguere.* Auctoritas judicandi causas Episcoporum accusatorum, eosque deponendi, in Gallis erat penes Synodum Provinciam, ut videre est in Capitulis *Ingilramni Metensis Episcopi*. Auctoritas tamen Synodi Provincialis non erat suprema, sed accusati ac depositi Episcopi poterant ab ejus judicio appellare ad Sedem Apostolicam. Eadem circa judicia Canonica, & depositiones Episcoporum in Anglia octavo Ecclesie sæculo vigeat disciplina, ut constat ex iis, quæ gesta sunt in causa *Wilfridi Episcopi*, qui in Concilio Provinciali depositus, ad Sedem Apostolicam appellavit, ac in Synodo Romana absolutus est, sicut refert *Venerabilis Beda* lib. 5. *Histor. Eccles. Gentis Anglorum* cap. xx. Idem post *Bedam* restantur *Eddius Stephanus* coævus Auctor, in Vita *Sancti Wilfridi* apud *Mabillonium* Tomo I. sæculi IV. Benedictini, & *Fridegedus, & Eadmarus* in Vita ejusdem *Sancti Wilfridi* apud *Mabillonium* parte prima sæculi III. Benedictini. Non solum Episcopi, sed etiam Presbyteri Verbum Dei prædicabant, ut colligitur ex Capitulari *Aquisgranensi* *Caroli Magni* anno DCCLXIX. cap. LXXX. Sacerdotes non ordinabantur octavo Ecclesie sæculo ante tricesimum ætatis annum, nisi Ecclesie utilitas aliter postulet; tunc enim eos ab anno ætatis vigesimo quinto inaugurari posse, permisit *Zacharias Pontifex Maximus* in Epistola ad *Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum*. Clericos Episcopis, & certis Ecclesiis addecebat ordinatio, eorumque tonsura triplex distinguebatur, videlicet *Romana, Græcica, & Scoticæ*. Clericorum Romanorum tonsuram sæculis septimo, & octavo usitatam describit *Canon quadragesimus Concilii quarti Toletani* anno DCXXXIV. celebrati, ut nimirum omnes Clerici, vel Lectores, sicut *Levite, & Sacerdotes, detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquunt.* Græci Sacerdotes, & Monachi penitus detonsi erant. Demum Britonibus, ac Scotis mos erat anteriorem partem capillis nudare ab aure ad aurem posteriori intonsa. Occasione istius tonsuræ *Scoticæ*, quæ a Romana discrepabat, gravis Britones, & Scotos inter, & Romanos exorta est altercatio, cui tandem octavo Ecclesie sæculo finem imposuerunt *Monachi Benedictini, & Britones ac Scotos ad Romanæ Ecclesie Cæremonias, & ad pacem atque concordiam*

revocarunt. Clerici omnes octavo sæculo in Societate, & in Seminariis vivebant, vel in Monasteriis. Cathedralis Ecclesiæ Clerus in Episcopio adunatus erat. Eodem sæculo Chrodegangus Metensis Episcopus, regnante in Galliis Pipino, Clerum suum in Societatem congregavit, seu Canonicorum Congregationem instituit, quibus Regulam ex Canonibus, Sanctorumque Patrum scriptis, & maxime ex Regula Sancti Benedicti constatam præscripsit, eos tamen voto paupertatis minime adstrinxit, ut facile colligitur ex Capitibus xxxi. & xxxii. ipsius Regulæ, quam edidit *Labbeus* Tomo VII. Conciliorum. Capite siquidem xxxi. statuit Chrodegangus, ut Canonici facultates suas Congregationi donare debeant, retento tamen toto vitæ tempore, si liberit, usufructu. Et Capite xxxii. decernit idem Chrodegangus, ut, si aliquis uni Sacerdoti pro Missa sua, vel pro Confessione, aut infirmitate, seu pro quolibet charo suo, aut vivente, aut mortuo, aliquid in elemosynam dare voluerit, hoc Sacerdos a tribuente accipiat, & inde quod voluerit faciat. Ex quibus verbis colligere proclive est, Canonicos a Chrodegango Metensi Episcopo institutos voto paupertatis non fuisse adstrictos, ac subinde non fuisse Canonicos Regulares, quos non minus paupertatis voto, quam aliis obedientiæ & castimoniam ex Regularis vitæ instituto obstrictos esse debere, certum est apud omnes.

D. De Doctrina Morali, qua sæculis septimo & octavo Pastores, alique Animarum Rectores Christianos imbuebant, superest ut in fine hujus Colloquii paululum disseramus.

M. Doctrinam Moralem sæculis septimo & octavo puram adhuc & illibatam fuisse facile colligi potest non solum ex Operibus Sanctorum Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum, qui his sæculis floruerunt, in quibus sanctissimæ bene vivendi præscribuntur regulæ, nec minimum extat vestigium harum opinionum, quas ad excusandas exculpationes in peccatis invexerunt moderni quidam Casuista a Sede Apostolica non semel proscripti, quorum nomina, nedum libros, utinam orbi Christiano nescire licuisset; verum etiam ex præclarissimis illis documentis, quæ leguntur in Capitulari Aquigranensi cap. lxxx. ubi Verbi Dei præconibus, & iis, quibus ex officio incumbit cura Animarum, norma prædicandi, & fideles ad bonos mores informandi his verbis statuitur: *Sed & omni instantia admonete eos, idest fideles, de dilectione Dei & Proximi, de Fide, & Spe in Deo, de humilitate & patientia, de castitate & continentia, de benignitate & misericordia, de elemosynis, & Confessione peccatorum suorum, & ut debitoribus suis, secundum Orationem Dominicam, debita sua dimittant, scientes certissime, quod qui talia agunt, Regnum Dei possidebunt.* Venerabilis etiam Beda, qui octavo sæculo floruit, in Epistola ad Egbertum Eboracensem in Anglia Archiepiscopum scribens, ipsum etiam rogat, ut populis sufficientes Doctores vitæ salutaris adhibeat, & hoc eos inter alia discere faciat, quibus operibus maxime Deo pla-

cere, a quibus debeant se abstinere peccatis, quam frequenti diligentia signaculo se Dominica Crucis, suaque omnia munire; quam salutare sit omni Christianorum generi quotidiana Domini Corporis ac sanguinis perceptio, juxta quod Ecclesiam Christi per Italiam, Galliam, Africam, Græciam, ac totum Orientem solerter agere noverat. Quod videlicet genus Religionis, inquit, ac devotæ sanctificationis tam longe a cunctis pene Provinciæ nostræ laicis per incuriam docentium, quasi peregrinum abest, ut hi, qui inter illos religiosiores videntur, non nisi in Natali Domini, & Epiphania, & Pascha sacrosanctis Mysteriis communicare præsumant: Cum sint innumeri innocentes & castissima conversationis pueri ac puellæ, juvenes, & virgines, senes & anus, qui omni die Dominico, sive etiam in Nataliis Sanctorum Apostolorum & Martyrum, quomodo ipse in Sancta Romana Ecclesia fieri vidisti, Mysteriis cælestibus communicare valeant. Ipsi etiam conjugati, si quis sibi mensuram continentiam ostendat, & virtutem castitatis insinuet, idem & licenter possint, & libenter facere velint (a).

„ (a) De Sacra Eucharistiæ communionem pige-
ret hic non adnotasse, quæ legenda mihi oc-
currerunt in Concilio quodam Reispacensi an-
ni 799. ut arbitror, quod lucem videbit in no-
va Conciliorum editione; ibi enim can. VI.
de Eucharistia sic statuitur: Vos admonemus,
ut inter tertiam & quartam dominicam (perce-
ptio Eucharistiæ, quæ hic Sacrum Sacrificium
appellatur) a vobis non negligatur; cum et-
iam & Græci & Romani seu & Franci omni
dominico communicent.

D. Antiqua est, ut video, doctrina de frequenti Communionis usu, & tamen paucis abhinc diebus obvium quemdam habui Theologum, qui multis argumentis mihi persuadere volebat, doctrinam de frequenti Communionis usu non solum contrariam esse præsentis Ecclesiæ praxi, qua fideles ad annum dumtaxat Communionem in Paschate peragendam obstringuntur, sed etiam alienam esse a communi opinione illorum Theologorum, qui antiquæ retinendæ disciplinæ tenacissimi docent, a frequenti Communionem Christianos arceri ac submoveri debere. Esto nunc, si placet, istius controversiæ Arbitri, & Judex.

M. Nec præsentis Ecclesiæ praxi, nec sententiæ Theologorum, qui sunt studiosi antiquæ disciplinæ cultores, adversatur, sed potius apprimè consentaneus est frequens Communionis usus. Ecclesia quippe non hanc legem de annua Communionem in Paschate peragenda sanxit, ut a sacre Communionis frequenti usu dignos arceret, quæ omnes stimulat, & hortatur, ut eam vitam agant, quæ hunc Angelorum cibum quotidie mereatur accipere; sed ea tantum lege sategit pia Mater Ecclesia, ut in tanta morum laxitate, cum eo frigiditatis, & teporis venissent Christiani, ut in plures annos Communionem differrent, semel ad minus singulis annis in Paschate, omnes factorum Mysteriorum essent participes, hoc est,

est, Christi Domini Corpus acciperent. Porro, frequentem Communionem semper suavit Ecclesia, Regulas tamen præscripsit, ad quas Communionis frequentia aut raritas exigi debeat. Veris Christianæ vitæ cultoribus, & animabus puris frequentiore Communionem multum spiritualis fructus afferre semper credidit Ecclesia. Hinc trium priorum Ecclesiæ sæculorum Christiani, quorum omnium cor erat unum, & anima una in Domino, quotidie, vel frequenter cælesti Eucharistiæ cibo reficiebantur. At Sanctum dandum esse canibus, margaritas ante porcos projiciendas, & Sacram Communionem hominibus in peccata mortifera lapsis impertiendam esse statim, ac e cœno emersepunt, vel sua crimina adhuc fumantia præcipiti Confessione in aurem Sacerdotis susurrarunt, nunquam existimavit Ecclesia, nunquam docuerunt Sancti Patres, nullus unquam affirmabit Theologus, saltem ex his, qui priori Theologiæ Morali sunt addicti. Venerabilis itaque Beda non omnes promiscue Christianos octavi sæculi ad frequentem Communionem hortabatur, sed dumtaxat eos, qui erant Innocentes, ait enim: *Cum sint innumeri innocentes, & castissime conversationis.* Sed enim innocentes dicuntur hi, qui tametsi peccatis venialibus obnoxii sint, Baptismi tamen gratiam inviolatam, & incolumem tenent; vel hi, qui baptismalis quidem gratiæ jacturam fecerunt, sed peccatorum suorum maculas, sincera, ferventi, & accurata penitentia elueverunt, atque ad laudabilem vitæ Christianæ Institutum, & ad optimam frugem sese receperunt. Id genus Innocentes Christianos ad frequentem Communionem perpetuo invitavit, & etiamnum invitat Ecclesia. Cæterum, Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ non omnibus indiscriminatum Christianis fuisse antiquitus administrata, facile colligitur, non solum ex constanti Sanctorum Patrum doctrina, quam hic adducere, & explicare nimis longum esset, sed etiam ex ea consuetudine, quæ sæculis Ecclesiæ septimo, & octavo obtinebat, juxta quam, his, qui Judicium sententiæ capite plectebantur, Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ ob tres causas denegabantur, quarum prima hæc erat, quod Author vitæ, Author gratiæ Christus Dominus, aut iis dandus non esset, quibus vita non concedebatur, aut quibus donaretur ipse, iis vita quoque donari deberet. Altera ea erat, quod peccata per penitentiam obliterata, jam non deberent inquiri, nedum puniri per Judices publicos. Tertia tandem ratio petebatur ex incerto exitu, & fructu Confessionum, & Pœnitentiæ hujusmodi præfinitarum, quas sinceram non esse, continua experientia, heu nimium! docet. Hinc est, quod antiqui Patres, ut videre est apud Sanctum Augustinum Epistola LV. veteris editionis, pro reis sententiæ Judicium damnatis, tam studiose, tam sollicitè deprecarentur, ut vita diutius producta sinceram penitentiam non verbis tantum, sed factis, mi-

feri illi probarent. Scilicet, probe sciebant veteres Patres, paucas horas ad mortem sancte obviandam Viris scelestissimis sufficere vix posse, rarumque & arduum esse post longam ætatem prave & nequiter actam cum Deo reconciliari, quia multorum annorum debita, vix, ac ne vix quidem pauculis horis exolvuntur. Hæc consuetudo reis, ultimo deputatis supplicio, Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ denegandi viguit in Galliis usque ad finem sæculi decimi quarti, seu ad annum usque mcccxc. quo Carolus VI. Galliarum Rex permittere cœpit, ut reis non multo post ad patibulum ducendis, Presbyter concederetur, qui eorum Confessiones exciperet. Mos tamen adhuc obtinet in Galliis, reis ultimo afficiendis supplicio Eucharistiæ Sacramentum denegandi.


D. Certe probare neutiquam possum hanc consuetudinem, quæ adhuc, ut dicis, observatur in Galliis, abnuenda videlicet Eucharistiæ reis, sententiæ Judicium morti addictis, maxime cum videam, Romæ, in tota Italia, & in aliis Orbis Christiani Regionibus hunc morem esse receptum, ut reis ultimo puniendis supplicio Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ impertiantur.

M. Ut ut sit de hac consuetudine, quæ etiamnum observatur in Galliis, & quam damnare non ausum, certo affirmare possum cum doctissimo Ludovico Thomassino Tom. 2. Veteris & novæ Discipline Cap. lxxvi. nihil omnino decerpi honoribus, qui sacrosanctæ Eucharistiæ debentur, dum ejus participes fiunt rei, qui mox proprio cruore scelera sua sunt abstersuri, quia Hostiæ pro omnium hominum salute oblata non potest non congruere, quidquid hominum eorundem saluti conducibile est atque proficuum. Joannes Chiffletius, qui Dissertationem hoc de argumento, quod in præsentia versamus, edidit, complures profert Pontificum Bullas evulgatas in gratiam piarum Sodalitatum, quæ reis & carceratis juvenis dicatæ sunt, potissimum vero, ut Eucharistiæ Sacramento muniantur ante mortem. Profert etiam multos Scholasticos Doctores, & casuum conscientiæ Tractatores recentiores, quorum alii censent, non ea ipsa die capitali supplicio affici debere reos quæ Eucharistiam perceperunt; alii vero existimant, et si ea ipsa die morte afficiantur, nihil tamen inde dedecoris resilire in sacram Eucharistiam, cum patrata facinora vindicari ac puniri jubeat lex justitiæ, nec id alienum esse possit a Christo, qui lex princeps est justitiæ. Cæterum, quamvis laudanda & probanda sit illa consuetudo, quæ mox inolevit, Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ administrandi reis, qui sententiæ Judicium damnati propediem in patibulo sunt morituri, nihilo secius ex antiquo more denegandi reis utrumque Sacramentum, & ex doctrina Sanctorum Patrum, qui præproperas Confessiones & penitentias graviter suspectas habent, facile colligere possumus, quam recte se gerant illi Confessarii, qui peccatoribus sæpius in eadem flagitia relabentibus, nec ulla congrua sinceræ conversionis indicia præbentibus absolutionis bene-

beneficium non impendunt, donec sinceram suam conversionem dignis poenitentiae fructibus probantes, absolutionis salubriter accipiendae capaces evaserint. Haec sedulo meditare, charissime Discipule, & si aliquando, divina disponente Providentia, contingat, ut curam Animarum suscipias, fac ut in administratione Sacramentorum Poenitentiae, & Eucharistiae duas istas Regulas semper pra oculis habeas, quarum prima haec est: Sacerdos, ne potestate clavium sibi divinitus tradita abutatur, peccatores in mortalia continuo relabentes flagitia, atque scelestae vitae seriem post iteratas Confessiones minima emendantes, absolutionis beneficium statim donare non debet, donec dignis poenitentiae fructibus conversionis sinceritatem probaverint. Altera Regula ista est: Christiani, qui post amissam Baptismi innocentiam, ii potissimum qui in lethalia peccata iteratis lapsibus recidunt, non debent ante dignos sincerae poenitentiae fructus ad sacram Communio-

nem accedere. Has duas Regulas ex Sanctorum Patrum doctrina depromptas, si aliquando ad regimen animarum admodum diligenter observes, & te ipsum saluum facies, & eos, qui te audient.

D. Praeclara ista moralia documenta memoriae meae adamantino clavo infigere satagam, quibus, si ut par esset, uterentur animarum Rectores, non tot profecto essent larvatae poenitentiae, & sacrilegae Communiones, nulloque negotio extirpari possent omnes abusus, qui in administrationem Sacramentorum Poenitentiae & Eucharistiae irreperunt; cum e contra violatis illis Regulis, omnis Disciplina Ecclesiastica labefactetur, omnis Christianorum salus prodatur, omnis sincerae conversionis spes extinguatur, omnibus vitiis aditus & impunitas aperiatur, necesse sit. His igitur saluberrimis documentis praesenti Colloquio, & Historiae Ecclesiasticae saeculorum septimi & octavi finem imponamus.



HISTORIA

ECCLESIASTICA

IX. Ecclesiae Saeculi,

Variis Colloquiis digesta.



Nimus quidem erat, duo, quae sequuntur Ecclesiae saecula, nonum videlicet & decimum connectere, eorumque simul describere historiam. Sed attenda ubertate rerum, quae in historia noni Ecclesiae saeculi examinandae occurrunt, & in pauca, sine aliqua Historiae Ecclesiasticae imminutione, contrahi haud possunt; consultius esse duxi, ne hic Tomus in majorem, quam par sit, excresceret molem, decimi Ecclesiae saeculi historiam ad proximum Tomum remittere, & hic seorsim noni saeculi concinnare historiam, quam juxta facilem ac expeditam nobis haecenus a principio praescriptam methodum, sex Colloquiis compendiose narrare, ac dilucide explanare pro viribus satagam. In primo Colloquio exhibebo Statum Ecclesiae tam in Oriente, quam in Occidente sub Imperatoribus & Principibus Christianis. In altero contexam seriem Episcoporum, qui nono Ecclesiae saeculo Sedes Romanam, & Constantinopolitanam tenuerunt, praetermissa omnino serie Episcoporum Ecclesiarum Alexandrinae, Antiochenae, & Hierosolymitanae, quia praedictae Ecclesiae, ut jam in superioribus Colloquiis ostendimus, a septimo saeculo, quo a Barbaris, seu Saracenis occupatae & oppressae fuerunt,